



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Lvdovici Almeidae Ad Socios In Lvsitaniam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

æquè liber illis atque in suas ipsorum aditus sit: sed tum præcipue præclarum amoris sui documentum dedere, cum Iaponii facta eos coniuratione arma ceperunt, quod ubi à Christianis cognitum est, communi statim consensu ad eorum defensionem se vel capite periculo compararunt: cum ex eis quidam, extrema iam arate, liquorum domos circumcursaret, horreturque omnes ad mortem pro Christianis fortiter oppetendam: quare perterriti barbari, à suscepto consilio destiterunt. Obsecrate fratres carissimi Dominum, ut huius gentis animos ad suos errores ac miseras recognoscendas illuminet. Cal. Decem. MDLX.

LVDOVICI ALMEIDÆ AD SOCIOS IN
LVSITANIAM.



Niis litteris, quæ à vobis ad nos assidue perferuntur, insignes amoris erga nos vestri & caritatis nuntur notæ. apparet etiã quanto studio teneamur ad nos subleuandos in hæc loca veniendi; hæc pietatis voluntatē, quoniã nos remunerari nõ possumus, Dominus ipse pro sua benignitate compendat, quamquam ut amoris vestro nos etiã aliqua ex parte respõdemus (quoniã auctis scire quid à nobis in re Christiana geratur) huius præsertim acta ad vos perferbere statui.

Balthasar Gagus hoc anno ex Iapone profectus in Indiã, ad ipsa tempestate retentus, hyemauit in ora Sinarum: atque id causa, cur à nobis huiusce anni litteras non acceperitis. Post discessum nuntii Meaco allati sunt, Bonziorum in Gaspari Vilelam odium aliquantulum refrixisse. itaque rursus aures re capisse Euangelio, fierique aliquos Christianos, atque in nobilissimos homines, & in rebus Physicis admodum intelligentes. Missæ sunt etiam aliquot à Meacensibus illis neophytis Bungenses Christianos epistola; quarum vna duodecim circumpaginarum magnam harum regionũ Christianis attulit voluptatem, sæpiusque descripta, omnia Christianorum loca percurramus simul recitabatur etiam ethnicis. Summa erat epistola, sectarum Iaponis omnium (quæ plus vndecim sunt) expositio simul & confutatio, cum religionis Christianæ confirmatione: nec vero paritas vnquam res Iaponiorum fore, quoad omnes fierent Christiani: atque id ipsum multis apertisque rationibus probabatur. Mense Iunio ineunte, ex Gasparis ipsius litteris cognouimus, illum se epistole ad urbem Sacaium, quæ bidui distat Meaco; vbi spea-

gna mensis vberimæ ostendebatur, non modò quòd sit libera, & in primis ampla Iaponis totius; sed multo etiam magis, quòd cum quidam è principibus ciuitatis illuc per litteras inuississet, ædesque suas ipsi ad Euangelii promulgationem obtulisset. cuius tantum est eius rei desiderium, vt in Bungum etiam certum hominem cum mandatis miserit ad Cosmum Turrianum. Recordabitur, vt speramus, pro sua bonitate Dominus harum gentium, easque conuerteret ad se; nos autem in suo confirmabit obsequio.

Quod ad Bungensem Ecclesiam attinet, quæ nunc quidem est Iaponis omnium maxima, admodum augetur in dies, (cæptis adspirante Domino) cum virtus veteranorum, tum etiam tyronum numerus: quorum tanta est pietas, vix vt possim verbis assequi: nonnulla tamen attingam, vt ex iis reliqua intelligatis. Primùm nulla nox præterit, (vt mihi quidem videtur) quin verberationes in templo fiant, ac ferè semper omnium, quotquot ibidem eo tempore sunt. quibus in templo non licet, ii sese intra priuatos parietes cum vniuersa familia verberant. Quotidie, quamuis ningat, Christianis refertum est templum: nec referatur ferè, quin multi reperiantur ad limina præstolantes. Festis autem anni celebrioribus tanta vis hominum confluit, vt ad multitudinem capiendam vmbracula è frondibus raptim exstructa cum templo continuare necesse sit: atque alii quidem præcipuis anni festis, alii verò diebus Beatissimæ Virgini sacris, alii quintodecimo, alii etiam octauo quoque die Confessione maculas abluunt. Sed Bungensium studium ac pietas Quadragesimæ præsertim diebus elucet. res profectò visenda: quippe in singulos annos crescit huius Ecclesiæ religio ac probitas.

In pueris iis, qui ad nos Christianæ doctrinæ gratia ventitant, aliqui ita parui cernuntur, vt nihil pæne præter catechismum eloqui possint: itaque idiolum quod tenent memoriter, oppido concinunt. Prope templum nostrum duodecim circiter Iaponii patresfamilias habitant, quorum filii puerique singulis noctibus, audito signo salutationis Angelicæ, ad Crucem conueniunt in ea vicinitate desixam; ibique nixi genibus totam horam quotidie in Christiana doctrina decantanda consumunt: idque parentum iussu, quorum tanta est pietas, vt infantibus Christiana rudimenta vnà cum lacte paulatim instillent, eosque tenera adhuc ætate nostram in disciplinam domesticam traditos Domino consecrent. nec verò parentū pietatem non imitantur liberi, atque

vnus præsertim natu maximus omnium, annum agens tertium-decimū; cui super mentem cruciatus CHRISTI Iaponicè recitari fiunt interdum ex oculis lacrymæ, nulla vultus mutatione. alii verò eorundem cruciatuum recordatione commoti, pro Christum liberatorem verbis affantur, ita suauiter, vt cuiuscumque ferreum quamuis pectus emolliant. Itaque horū quos domi edocamus operam ad conuersionem harum gentium magnò nobis vsui fore speramus: quippe cū Iaponios auditores patria lingua magis quam peregrina retineat. alios præterea quinque Iaponos apud nos habemus proeecta iam ætate viros admodum probos tres videlicet Funaii, quartum Meaci cum Gaspare Vilela: postremus comes est peregrinationis meæ, annum agens alterum & octogesimalium, tanta in dicendo suauitate ac lepore præditus, vt auditorum animos mirabiliter capiat: hærefes verò Iaponicas itaque de physicis ita callet, vt hosce philosophos omnes refutat ac vincat. faxit Dominus, vt eorum animis ignem injiciat. Christiani Facatenses, ac præsertim vnus è principibus, Cosmus missis nuntiis per Deum obtestati sunt, vt eò aliquem è Societate mitteret: velle se optimum tēplum exstruere, & suis alere stipitibus quotquot è nostris ibi commorarentur: quod iam fieri incipit. hisce de causis, & simul, quòd multi Christianorum alicuius è nobis aduentum sermonesque iam diu desiderabant, creuit Cosmus, vt initio Iunii anni MDLXI. ad eos pagos & loca finitima inuisenda discederem.

○ Pridie quam Facatam perueni, aduentu meo cognito Christiani obuiam mihi alii ad tria passuum millia, alii etiam longius magno cum gaudio processerunt. ego complures dies in ea urbe moratus, in ecclias circiter septuaginta sacro fonte lustrantibus quibus erant Bonzii duo Iaponicarum legum sanè periti, cum inter etiam regius concionator fuisset. is septem dies mecum disputando, interrogando, quæ dicebam in commentarios referendo consumpsit, cū immensa Dei Domini nostri Iesu Christi ei tandem affulit, & illius exemplo multorum præterea tenebras dispulit.

In eadem vrbe Facata cū alii complures, tum præcipue duo morbo graui laborantes diuina ope sanati: quorum vnus patens milias tanto capitis dolore torqueri solitus, vt violentas sibi manus inferre saepe tētarit, tertio decimo die Dei benignitate conualuit. alter erat iunior lepra fœdissima coopertus. is, quòd Christianis honorificè pieque sentiret, putaretque iuuante Domino sibi per me sanitate reddi posse; in meū conspectū adductus est.

quem vt vidi, negavi me ei morbo posse facere medicinam: verum tamen ne plane mœstus a me discederet ipse, quiq; eu adduxerant; remedium quoddam illi præscripti facillimum, & post tertium diē ad me redire iussi: ita nitidus rediit, vt nulla vnquam scabie laborasse videretur. equidem obstupui perspecta hominum fide, aperteque denuntiaui Christianis, ne sanitatem pharmaco, sed Deo Domino fideique suæ acceptam referrent: quæ quidem etiam in animos eorum, qui morbo liberati fuerant, redundauit. nam vterque Baptismo petito, & post catechismum impetrato, ad Ecclesiā aggregatus est. cumque iam discessus mei tempus appeteret, quo æquiore animo id ferrent, spem illis maturi reditus præbui: quorū duo primores ita obfirmato animo itineris mei comites esse statuerunt, vt eorum studiis remittere aut eos de sententia demouere nulla ratione potuerim.

In exitu Iunii Facata discessimus in insulam Tacaxumam, ambitu passuum sex millium, in ditione viri principis Firandensis, Antonii nomine: vbi cum essent quingenti circiter Christiani, ethnici tantum octo; ii quoque ad Deum nostro aduentu conuersi sunt. Præest autem eorum institutioni, excellenti virtute vir, qui è Bonzio Christi seruus effectus est. ædè habent, quæ idolorū antea fuerat, in primis ornatum: cuius vectigali, itemque eleëmofynis, quas erogat institutum ibi quoque Misericordiæ sodalitiū, non modò ipse antistes alitur, sed etiam inopes peregrini, qui illuc sanè multi (quod vidi per eos dies) religionis causa ventitant. eadem stipis per Misericordiæ sodales ritè fideliterque distribuendæ ratio seruatur etiam in vicina insula Iquicuchi; itemque in cæteris insulis, in quibus Ecclesiæ sunt: quo fit, vt ad iter iis regionibus faciendum sarcinæ & impedimenta minimè sint necessaria: quippe, quocunq; peruenias, omnia tibi gratis ac sedulò comparantur; maritimo itinere naues, terrestri comites & iumenta: quæ recuses, iniuriam videlicet sibi fieri, seque in Christianis officiosis numerati non putant.

Firando cum ad hanc inuisendam Ecclesiam aliquot Lusitani venissent, horum Christianorum religione, precandî studio, obedientia, amore non modò in sacerdotes nostros, sed etiam in omnes eorum vicarios, tantopere delectati gauisique sunt, vt mihi affirmarent, Socios nostros, qui in cæteris orbis terræ partibus versantur, si vel particulam norint eorum, quæ cum his Christianis geruntur, omnes Iaponicam hanc prouinciam expetituros: quod equidem credo: nam vna profectò Christianæ doctrinæ delectatio multas vobis præ lætitiâ lacrymas exprimat. quid enim

si videatis pueros centum ac puellas, bis quotidie catechizati
 sa conuenientes, qui paucis antè diebus dicati diabolo fuerant,
 iam Christianos templum ingredi, aqua lustrali se aspergere, co-
 mum ad precationem ritè genua flectere? quid si duobus eor-
 uo voce præeuntibus, subsequentes cæteros, doctrinæque præ-
 cepta concinentes audiat? idque tanta cum modestia ac ven-
 cundia, ut oculos semper humi defixos habeant, ac duo illi præ-
 fertim, qui voce præeunt, (quos ego de industria non semel
 & curiosè notavi) & quidem in maximis caloribus, cum facie
 eorum sudore manerent, tanta fuere constantia, ut manus, pedes
 nunquam mihi mouere conspecti sint: raptos profundè ab
 qua contemplatione dixisses. nec verò doctrina tantum decora-
 tanda contenti sunt: nam eius quoque explicationem libenter
 nobis requirunt. Iam verò quanta cum animi vestri voluptate
 intueamini Iaponios hosce Christianos positis genibus, manus
 que sublati, Christum è Cruce pendentem adorantes, lac-
 rimis ad solum vsque fluentibus, in tormentorum Domini cep-
 tione ita demersos, ut penè ecstasici videantur? atque hæc quæ
 in hisce insulis propè desertis, quid de iis locis existimandum
 in quibus (ut in Bungo) Sacramentorum est usus frequens
 cum ita sint; misereatur (quæso) vos fratres carissimi harum Eccle-
 siarum, Deumque cum gemitibus obsecrate, ut supplementum
 quod è Societate nostra dignetur huc mittere. quod si forte
 diu distulerit, quàm vereor, ne qui venerint, paucos super-
 è nobis offendant: siquidem tres hac ætate magnum vitæ
 men adiunimus, quàm tuetur Dominus, ut opinor, quoad
 nobis ad nouam hanc vineam tuendam colendamque succedat.

Ex ea quam dixi insula in aliam traieci maiorem, quæ
 cuqui vocatur. incolas habet circiter mille quingentos,
 Christianos ferme octingentos. ii, quòd iam antè de meo ad-
 cognouerant, obuiam mihi nauem cum primoribus aliquot
 stianis miserunt: quam ut conscendi, in ipsa nauigatione, tri-
 passuum millibus, antè quàm ad insulam peruenimus, Cru-
 aspexi edito loco positam, quam satis amplo interuallo circum-
 murus, sepeliendis Christianis cœmeterium efficit; vbi descen-
 mus, humanissimè excepti, continuò ad salutandam Crucem
 more perreximus: inde templum eorum inuisimus, eleganter
 rum. atque illos in præsentia quidem, ne inopem plebem uol-
 iactura ab institutis operibus auocarem, dimisi, concione in
 tutinum & vespertinum tempus, puerorum verò catechizandi
 pomeridianum indicto. itaque tanti concursus fieri capti sunt.

cum multi excluderentur, aream, quæ ad vestibulum templi est, stercis pro re nata contegere necesse fuerit. Templum est autem excelsio loco, lucoque denso, & ad aspectum iucundo. in id ascenditur gradibus, quibus in imis stagnum est aquæ, nudis pauperum pedibus abluendis, non superstitione vel cæremonia, sed ne templi catastromata calcata commaculent. Postridie quam huc veni, cæteras quoque sacras ædes lustravi pulcherrimè positas, quippe quæ ante id tempus idolorum fuissent, quibus colendis optima loca diligenter exquirebantur: hoc autem tempore aditum Japonii sunt illi ipsi, qui nuper Bonzii, nunc Christiani appellantur, antea dæmonem, nunc IESVM Crucifixum supplices venerantur & colunt. Et quoniam ex altero pago eiusdem insulæ sanè frequenti ad alterius pagi templum, trium ferè miliarium interuallo, Christiani magno suo incommodo venire cogebantur; templum ibi quoque exædificandū curavi, quod paucis diebus multorum subsidio magnæque omnium alacritate perfectū est, tabula picta, cæteroq; ornatu ex vrbe Firando illuc aduecto. Christianorum animis recreatis, cælestiq; fonte purgatis iis, qui ad Baptismū videbantur idonei, ad alium Christianorum pagum, quem Xixi vocant, ire perrexi, vt eos per Euangelium solarer, & simul vt in æde noua, quæ tum ab iis ad rectum perducebatur, sacellum exstruendum curarem, Iquicuchensibus Christianis officiosè nobis in eam rem fabros lignarios septem aliaque auxilia necessaria deferentibus. ibi igitur amantissimè excepti à Christianis; qui, quasi regem expectarent, ita sedulò vias antè purgatas ornauerant, prima luce & vespere de rebus diuinis disputare instituimus, quo commodiùs cæteris horis diei sacello exædificando vacarent, quod summa eorum diligentia paucis diebus est absolutum. Catechismi deinde cura certo homini tradita, Iram traiecimus eo consilio, vt Facatam propediem reuerteremur, quod eius peregrinationis spatium Cosmus nobis ad Augustum exeuntem vsque præscripserat. Iram, Cruce salutata, cum incolis egimus, vt ibi templum, nullum enim erat, communi consilio facerent. ad quod nobis Firando sacrae imagines cæteraque necessaria ornamenta transmissa sunt. nonnullis concionibus habitis, quibus in fide Christiani sunt confirmati, Baptismoque lustratis qui lustrandi supererant, Casungâ inde contendimus; vbi tanta nobis hominū multitudo sese obuiâ effudit, vt festi alicuius diei solennis celebritas videretur. Cruce adorata, ad primarium quendam Christianum diuertimus, apud quem nonnullis concionibus habitis, magna omnium voluntate decretum est templum, in quo sacerdotes sacrificarent, si qui in ea

loca

loca venirent: quò item Firando necessarius sacrorum apparatus est missus. Interea dum hîc agimus, mihi grauis homo narrauit Iquicuchi, mulierem Christianam suadente diabolo, siue eius ministris, abortus faciendi gratia pharmacum sumpsisse eiusmodi, quod infantem ipsamque parètem necauerit. Huius corpus Christianum quippe quæ noxa capitali obstricta migrasset, in ipsorum cœmeterio, in quo Crux est posita, sepeliri cum vetuissent; illa post aliquot dies periculosè ægrotanti adolescenti cuidâ Christiano peruisum: Corpus (inquit) meum sacra sepultura prohibitum est illi quidem: sed ne idcirco me Christiani damnatam existimenturam antè quàm è vita discederem, Dominus cõtritione mea lacrymis placatus est. quibus rebus Christiani ex adolescente cognitis, quibus is deinde conualuit) valde animati sunt.

Ex eo loco rursus ad pagû Iquicuchi, atq; inde, spe redit? Christianis relicta, Firandum discessi ad quædam sacrorum instrumenta accipienda, quæ nobis Lusitanorum nauis aduexerat.

Firandum vt venimus, nauarchum Lusitanum allocuti, ad Antonium diuertimus statim, qui cum vniuersa familia nos perantiter accepit, detinuitque ad multam noctem, nonnulla de officio religionis percontans: postridie nauarchum adiui, vt per magnam tabulam pictam in naui proponeret Christianis vltimam, quos in proximum Dominicum diem (quod eorum commodo fieret) ad concionem simul & spectaculum, dimissis per agros nuntiis, euocauimus. Interea nocturnis hortationibus cum cæteri Christiani in fide animati sunt, tum ethnici circiter quinquaginta ad Baptismum adducti: in iis, è proceribus quædam Antonio non inferior. Et quoniam Firandi sacra ædes erat nulla, petiit nauarchus ab Rege, vt in area nostra excitare liceret adiculam, in quam Lusitani, qui versabantur ibi nonaginta, religionis causa, conuenirent; eademque Firandenses Christiani deinceps vterentur. cui Rex se deliberaturum respondit. Ea erat dissimulata negatio: itaque id vbi resciuimus, apud Christianum in area nostra habitantem priuatum sacellum exstruere atque adornare constitui, quod ille tanta animi alacritate studioque receperit, vt ædium duarum quas possidebat alterius vltro mihi optatione daret, seque custodem fore profiteretur. igitur, Antonio præsertim operas & cætera necessaria benignè suppeditante, paratum oratorium est, & omnibus rebus instructum, in quo singulis nobis Litaniæ & sacri sermones habebantur. vbi Dominicus aduenit, è pagis insulisque finitimis ingens Christianorum multitudo confluit, tum ad verbum Dei audiendum, tum verò ad

etiam visendam imaginem, positam, ut dicebamus, in naui, loco peristromatibus, vexillis, virentibusque arborum ramis ornato, referta iam spectatoriibus naui, cum perorassem, eos omnes nauarchus, quod longè ab domibus suis abessent, liberali cibo potuque refectos dimisit.

Iam dies obrepserat, quo die mihi in Bungum redeundum esset: quocirca sacra tabula ex oneraria in nauiculam translata, ut inde Facatam deueheretur; Christianos Iquicuchenses monui, me sabbato proximo (ut promissa facerem) ad eos ex itinere venturum, & inde postridie vespere profecturum: qua illi re audita, parata naui continuo ad me deducendum venerunt. sub noctem conscendi, comitibus piis aliquot Lusitanis, qui me rogauerant, ut mecum se ad illas Ecclesias inuisendas venire permetterem. Descendentibus nobis ad litus obuam prodire Iaponico more cum facibus multis: eodemque comitatu ad templum venimus, ubi nos magna populi multitudo cum pueris exspectabat. Concione habita, & puerorum catechismo peracto, quod iam intempesta nox erat, plebem dimisi, manèque postridie (Dominicus erat dies) post concionem incolas circiter tredecim, Christiana doctrina iam institutos, baptizauimus. Inde profecti, magna in itinere ac varia incommoda molestiasque pertulimus. Nam & mari, paruis lincibus, isque monoxyliis, vastos interdum sinus præcidere sumus coacti, vixque imminetium piratarum manus effugimus, qui captos homines diu multumque vexatos in seruitutem diuendunt; & terra; iumentis consultò relictis, lutulenta via atque teterrima cingulo tenus cæno demergebamur: quæ tamen sordes occurrentibus passim riuis eluebantur. Accessit ad hæc, assiduum panè profuuium sanguinis, quo sanè grauius acerbèque vexabar. Sed eas omnes difficultates, Christianorum erga nos studium caritasque compensabat egregia: cum & hospitii commorationisque nostræ mercedem constanter ac benignè respuerent: & abeuntes, viatico omnibusque rebus necessariis liberaliter instructos, vberissimo fletu prosequerentur: & quod longè admirabilius est, impressa a nobis humi vestigia ipsa, obstupescens rei nouitate ac miraculo qui mecum aderant Lusitanis, oscularentur. Verum, ne longior sim, modum epistolæ faciam, si vnum addidero, ex quo facile iudicare possitis, quanta sit Iaponicæ gentis ac nominis ad humanitatem religionemque propensio. Cum fessus è via, morboque panè confectus, in quodam ethnicorum oppido substitissem; tamen si nullum erat desiderium cibi, tamen ne planè deficerem, oryzam reformidans, putridaque piscium fassamenta (hæc enim

enim incolarum cibaria sunt) mihi qui oua coëmeret. is autem mihi mox oua cum ipsis nummulis retulit. Causam querenti respondit, incolas oua, quòd dies ille festus ipsorum esset, vendere noluisse: quòd ægroto quærerentur, dono dedisse. Denique in Bungum ægre peruenimus: ibi quanquam à Cosmo ac Sociis amantissimè acceptus, humanissimèque tractatus, vix tamen adhuc è diuturna ægrotatione conualui. Vos clementissimum Iesum obsecrate fratres, vt mihi ad se perfectè colendum vires animumque suppeditet. è Bungo, Calend. Octob. M D L X I.

E SOCIETATIS IESV LITTERIS IN EVRO-
PAM DE OBITU CONSALVI SYLVERIAE
Lusitani.



ONSALVI Sylueriæ nostri felicem obitum hac epistola persequemur. Is circa initium anni MDLX. cù Sociis duobus Goa discessit in regna quæ dicuntur Inhambanis & Manomotapæ, vt nationibus illis Euangelium nuntiaret, quòd concionatorum inopia nunquã probè cognouerant. Vt primùm Inhambanè attigere, morbo corripiuntur ita graui, vti Consaluis natura valentissimus, oculorù acie vehementer habetata fractisq; viribus, propemodum extinctus sit. Vbi paulo melius habuere, ad urbè Regiam Tongen iter intendunt. ibi Regè vnà cum vxore, sorore, liberis, cognatis, regniq; proceribus, populo denique penè toto intra paucos dies magna omniù gratulatione atq; lætitiâ sacro fonte lustrarunt. Rex Constantini, Regina Catharinæ, soror Elisabethæ nomen assumpsit. Inde Consaluis rei Christianæ causa relictis apud Regem Sociis, Manomotapam ire pergit, comitabantur amici Lusitani sex; orà vnica biremi legebant; Mosambico insula superata, vix ad Mafutæ fluminis ostium leucas nonaginta processerant, cùm atrox coorta tempestas, Consalui deprecatione repenrè sedatur atque comprimitur. Inde exscensione facta, die qui fuit diuo Hieronymo sacer, plicatilis ara in ipso littore ad sacrificium excitatur, ita vehementi Solis ardore, vt calceati Lusitani, terræ calorem ferre vix possent. Consaluo autem inter sacrificandum eruperunt ex toto capite pustulæ: quas cùm ad curandas medicamenta nequaquam deessent, præclaro sui ipsius odio incensus ille cuncta repudiauit, seque naturæ dumtaxat sanandum permisit ac tempori. Triduum ibi morari, tranquillo mari prouehuntur ad Colimanem fluuium; eò resstantibus ite-